

finiri. Si verò quis definiat entia ficta, jam illa considerantur tanquam intelligibilia ratione fundamenti sui, quod habent: ut si quis fingat montem aureum, fictionis fundamentum est mons & aurum.

Cap. 2. Definitum in specie.

Definitum in specie est verbale, vel reale.

Verbale est, quod explicatur per vocem.

Aliàs dicitur nominale. Et hoc differt à notato, de quo egimus *libro 2.* Nam notatum hîc latiùs patet, ut infra dicemus. Deinde hîc induit novam relationem. In libro 2. tradebatur ratio notatum ex loco aliquo primo explicandi; hîc traditur modus notatum per suam definitionem jam inventam explicandi. Itaque hîc supponitur notatio, ibi invenitur.

Definitum reale est, quod per attributa realia explicatur.

De hoc sunt isti canones:

1 Non est eadem rerum, quæ definiuntur, natura.

Res enim quædam sunt necessariae, quædam contingentes. Necessariae sunt, quæ ita se habent à naturâ, nec à casu aut voluntate humanâ mutari possunt. Hæ ad leges definiendi examinari ut possunt, ita debent. Res contingentes sunt, quæ pendent ab operatione seu voluntate hominis. Hæ res aut sunt tales simpliciter hominum voluntate, & ita etiam mutantur pro voluntate hominum; aut sunt tales voluntate hominum secundùm quid, ut sunt artes, scientiæ, virtutes, & alia innumera, quæ quidem specificationem accipiunt à voluntate hominis, sed ita, ut homo illorum essentialia non mutet. Quod attinet ad res priori modo contingentes, illæ qua tales non patiuntur sese constringi legibus horisticis. At res posteriori modo contingentes omninò habent certas definitiones. Neque enim justitia verbi gratiâ Aristidis in definitionem venit, sed justitia prout in se est formaliter & naturâ suâ. Interim tamen res illæ contingentes priori modo etiam certas habent & catholicas definitiones, dum res, quæ definiuntur, in eo

Rerum definiendarum natura varia.